

No. 581. 1368. 17. Aug.

*Die Burggrafen Meynher und Bertold von Meissen eignen dem Capitel in Panitz erkaufte Zinsen.*

In nom. dom. amen. Nos Meynherus et Bertoldus dei gratia burchgravii sacri imperii in Misna et comites in Hartinsteyn — volumus esse notum, quod strenuus vir Deynhardus de Lympach, morans in Paskewicz<sup>a)</sup>, de consensu et bona voluntate suorum heredum unam sexagenam et quinquaginta sex grossos Fribergenses, quinque pullos et quadraginta ova annui census siti in villa et in pago villae Panicz<sup>b)</sup> districtus Misnensis, quem censum annis singulis solvunt, solverunt et solvere consueverunt in eadem villa Panicz residentes rustici infra scripti Nickil Kreczemer et Nickil der Peczynnen eorumque heredes in solidum de uno manso, in festo Michaelis quadraginta quinque grossos et quatuor pullos, et in festo Walpurgis quadraginta duos grossos et in festo paschae triginta ova, item specialiter dictus Nickil Kreczemer in festo Michaelis quindecim grossos et unum pullum et in festo Walpurgis XIII grossos, nec non in festo paschae decem ova de tertia parte unius mansi siti in villa supra dicta, quem censum dictus Deynhardus a nobis in feudum tenuit —, pro viginti quinque sexagenis Fribergensium grossorum praedictorum eidem Deynhardo iam integraliter solutis vendidit venerabilibus viris dominis Heynrico praeposito, Nicolao decano totique capitulo ecclesiae Misnensis. Quem quidem censum idem Deynhardus, constitutus coram nobis in manus nostras libere resignavit, renunctians cum dictis heredibus suis omni iuri et actioni, ac cuiuscunque legis auxilio et beneficio, quae sibi aut cuilibet eorum competere in eodem censu et bonis seu competere possent in futurum, et per quae possent contra resignationem et renunctionem praedictas venire in toto vel in parte. Et quia memorati domini . . praepositus, . . decanus et capitulum praedicti iam dictum censum cum aliis obventionibus ipsius conferri — petierunt, nos — ipsorum precibus inclinati praedictum censum seu bona — — dictis dominis — et capitulo ecclesiae Misnensis contulimus et in possessionem eorundem bonorum ipsos mitti mandavimus — praedictum censum et bona cum areis aedificatis seu aedificandis, cum omni iure utilitate et fructu, quibus dictus Deynhardus ipsum seu ipsa in feudum a nobis tenuit, tenore praesentium libere appropriantes capitulo et ecclesiae memoratis iusque nostrum, quod in censu seu bonis praedictis nobis et heredibus seu successoribus nostris competeat vel quocumque modo de iure vel de facto competere posset, in capitulum et ecclesiam Misnensem praedictam transferimus pleno iure, nihil iuris nobis et heredibus seu successoribus nostris in censu et bonis praedictis penitus reservantes. In quorum omnium robor et evidens testimonium sigilla nostra praesentibus duximus appendenda, praesentibus et testibus strenuis et honestis viris Johanne de Waldow milite, Johanne de Stüchow, Johanne de Malticz, Erenfrido de Slynicz, Heinricho de Gorenczk, Johanne de Schzerin illustrium principum dominorum . . marchionum Misnensium in Misna advocato, Donato advocato et Ber-

a) Paschkowitz, Par. Altmügeln. b) Panitz, Par. Staucha.  
 COD. DIPL. SAX. II. 2.